

invitassent. Quid scriberem defuit, fateor, nisi forte, quod vulgo fit,
 scripsissem « bene valeo, si tecum bene agitur letus sum », atque
 his similes nugas. Nec in presens hunc interrupissem conceptum,
 10 quippe qui nil serium, nil novum quod afferam habeo. Porro hanc
 mentis duriciem, sive torporem et ignaviam mavis, fregit peregrinus
 noster, tibi amicus et socius michi, at et amicus et parochialis
 vicinus, vir, nisi fallor, singularis in sorte sua. Is, nuper Babilone
 reversus, mecumque agens familiariter iure suo, longum de te ser-
 monem habuit, multumque institit ut scriberem; prorsus, quantum-
 cunque ad id dispositio nulla foret, quicquid scriberem futurum
 tibi gratum et placidum omnino censebat. His itaque flexus, utque
 tibi et sibi morem gererem, acquievi illius potius voluntati, quam
 nature dispositionique mee. Sic igitur percontanti michi de statu
 20 rebusque tuis, te letum in primis et sospitem retulit; probum de-
 inde et officiosum virum, pergratum illi domino, cuius contubernio
 frueris, cunctisque opera tua indigis acceptum et obsequiosum pa-
 riter. His adiecit te inter ceteros notos me precipue colere, no-
 menque meum in tuo ore versari sepissime. Que quidem etsi leta
 mente suscipiam, si virtuti tue gratulor, gratulor mansuetudini et
 moribus tuis, qui me tibi amicum fecere plus forte quam extimas:
 verum tamen super omnia michi letor, quod huius consilii tui,
 qualiscunque sim, pro parte fuerim autor et suasor, utpote qui vi-
 dere videbar augurio quodam mentis quid tibi futurum erat. Si
 30 quidem, ut reminisci te reor, dudum tecum confabulando, mutuasque
 fortunas, ut fit, familiariter retractando, mentem meam archanum-
 que detexi, que fuerat olim curiam illam magnam sequi, si quo casu
 datum extitisset, sub fidutia non temeraria, ut autumo, quod etsi
 forte nullus eminentie michi locus fuisset, at saltem licuisset sili-
 quis vivere, et pane secundo, ut Flacci verbo utar. Id michi quo-
 niam parum cessit ex voto, sic volvente fortuna humanas curas et
 opera, tibi suasi, multa in te considerans que ad normam illius vite
 conformia videbantur.

Epist. II 1, 123.

Letor, inquam, et vehementer exulto, tum ex multis, tum ex
 40 eo maxime, quod puxillam originem labentisque domus tue nomen
 erexeris, quod patriam sterilem prolis, quod invitatus dixerim, solus
 inter professionis tue consortes, utcunque substantes, quodque michi
 amicum invenerim, qui infra adoloescentie annos virilem animum
 occupavit. Que cum ita sint, quid rubustioribus annis accedendum
 putem, non facile extimes. Utinam, mi Francisce, et etas et vita